



# **Disputatio juridica inauguralis ad L. 2. C. de resc. vend.**

<https://hdl.handle.net/1874/341843>

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
AD  
L. 2. C. de Resc. Vend.

QUAM  
FAVENTE DEO OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. HERMANNI WITSII,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque in Inclita Academia Ultrajectina  
Professoris Ordinarii, & Ecclesiae ibidem Pastoris facundissimi,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Alma  
Facultatis JURIDICAE Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in utroque JURE honoribus, & Privilegiis ritè,  
ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini subicit

ÆGIDIUS NYLANT; DAVENTRIA TRANSYSUL.

Ad diem 29. Junii, loco horisque solitis.



ULTRAJECTI,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, clō lōc LXXXVI.

*Clarissimo spectatissimoque*  
*V I R O*

D. S A M U E L I  
T E N N U L I O,

Domino in Hamerden &c. Vi-  
ro apprimè docto, Historiarum  
peritissimo, illarumque, ut &  
Eloquentiæ in Academia Neo-  
magenfi non ita pridem Profes-  
sori publico celeberrimo, A-  
vunculo suo nunquam non co-  
lendo suspiciendo.

*Hanc suam Inauguralem disputa-  
tionem*

D. D. C.

ÆGIDIUS NYLANT AUCTOR.



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

AD

*L. 2. C. de Resc. Vend.*

**E**lebre est ac decantatum remedium: quod ex quatuor materiis mihi ab Amplissima facultate præscriptis, pro tenuitate ingenii explicandum suscepi; utque id ritè fieret, primum de ipsa emptione in genere præfari visum est.

THESIS I.

**E**mptio venditio est contractus jurisgentium. *l. 1. §. ult. ff. de contrah. emp. bonæ fidei. §. 3. Inst. de obl. quæ ex consen. §. 28. de act. consensu constans pr. Inst. de obl. quæ ex consen. de re pro certo pretio habenda.*

II.

*Consensu Constans.* Perficitur hic contractus, simul ac contrahentes de re & pretio convenerint: & quidem solus consensus hic sufficit. *pr. Inst. de emp. vend.* non tamen ea intentione, quod rei interventus, vel pretii numeratio non desideretur, sed tantum ad constituendam

obligationem, & producendam actionem; quia nulla emptio sine pretio esse potest §. I. *Eod.*

## III.

Hæc regula, quod solus consensus sufficiat ad perficiendam emptionem, duobus modis fallit.

I. Si contrahentibus placuerit, emptionem celebrari in scriptis *pr. Inst. de emp. vend.* quo casu demùm perfecta est emptio, si instrumenta conscripta sint, & à contrahentibus subscripta. *l. 17. C. de fid. instrum.*

II. In venditione rerum, quæ pondere, numero, aut mensura constant: in illis enim rebus non antè consummata est emptio, quam si res annumeratæ, aut apponderatæ sint. *l. 35. §. 5. ff. de contrab. emp.*

## IV.

Dixi consensum debere esse liberum; unde colligitur, quod nemo invitus ad vendendum, aut emendum cogi possit. *l. 11. §. 13. C. de contrab. emp.* Duas tamen habemus exceptiones.

I. Si publica utilitas hoc exigat. *l. 11. C. de evict.* ut si pomeria urbis sint dilatanda.

II. Propter favorem religionis. *l. 11. in pr. ff. de rellig. & sump. fun.*

## V.

Ex definitione tria hujus contractûs substantialia colligi possunt, quæ sunt merx à parte venditoris. *l. 8. ff. de contrab. emp.* pretium à parte emptoris. *l. 2. §. 1. Eod.* & consensus ab utraque parte. *l. 9. in pr. Eod.* Duo priora requisita distinguunt hunc contractum à permutatione, quæ ab utraque parte rem desiderat *l. 1. ff. de rer. permut.* Ultimum requisitum excludit eos, qui consensus non possunt adhibere: quales sunt, furiosi, mente capti, & his similes, nisi habeant dilucida intervalla.

## VI. Em-

## V I.

Emptio perfecta variis modis dissolvitur, ut mutuo diffensu: quod enim consensu contractum est, contrariæ voluntatis adminiculo dissolvitur *l. 1. c. quand. lic. ab emp. disc. l. 58. ff. de pact.* quod tamen non absolutè est accipiendum, sed cum hac limitatione (re integra, id est, quamdiu aut pretium non sit datum, aut res tradita) nam si contractui ab una parte traditio accessit, iterùm retrotraditione opus est, nec tum sufficit nudus consensus *d. l. 1. § 2.* ratio est, quia unumquodque eo modo dissolvitur, quo colligatum est *l. 35. ff. de R. J.*

## V I I.

Dolus, vis & metus dant quoque causam rescissioni, adhibitâ tamen distinctione inter dolum incidentem in venditionem, quo casu venditio est rescindenda *l. 13. §. 4. 5. de act. emp.* & dolum dantem causam venditioni, quo casu est ipso jure nulla *l. 7. ff. de dol. mal.*

## V I I I.

Inter modos dissolvendæ emptionis non parùm celebre est remedium *l. 2. C. de Resc. vend.* jam explicandæ, cujus hæc sunt verba:

Impp. Diocletianus & Maximianus

*Rem majoris pretii, si tu vel pater tuus minoris distraxerit: humanum est, ut vel pretium te restituen- te emptoribus, fundum venundatum recipias, aucto- ritate judicis intercedente: vel si emptor elegerit, quod deest justo pretio recipias. Minus autem pretium esse videtur, si nec dimidia pars (veri) pretii solu- ta sit.*

Hujus constitutionis summa hæc est: quod venditor enormiter (hoc est ultra dimidium) in pretio læsus, possit venditionem rescindere: datâ tamen emptori

6 DISPUTATIO JURIDICA

electione ; utrum velit læsionem resarcire , vel rem restituere.

I X.

Videmus auctores hujus constitutionis Imperatores Diocletianum & Maximianum : qui vixerunt in fine seculi tertii post natum Christum , regnaruntque per viginti annos , multasque constitutiones dederunt , non tamen ex auctoribus constat , quo imperii anno hæc nova constitutio lata sit.

X.

Voco hanc constitutionem novam : quia tempore Pandectarum fuit incognita , quod multis argumentis possum demonstrare.

I. Quia nulla mentio fit in Pandectis hujus constitutionis : & certè Jcti : non prætermisissent tam insignem juris decisionem , si ipsis fuisset cognita.

II. Jure Pandectarum licebat contrahentibus se invicem circumvenire , sine ulla pretii determinatione , modo dolus malus abesset *l. 16. §. 4. ff. de minor.* nec ulla actio dabatur venditori læso ad rescindendam venditionem : ne quidem ad venditionem reducendam ad æqualitatem , quod non obscure colligitur ex *l. 22. §. ul. ff. locat. cond. § l. 15. §. 3. ff. de re jud.*

III. Non parum facit , quod nullus alius Imperator hujus constitutionis mentionem faciat , quam Diocletianus & Maximianus : qui omne fundamentum in sola humanitate posuerunt , satis indicantes aliud jus olim obtinuisse.

X I.

Competit hoc remedium læsis in genere : dico in genere contra Cujacium aliosque , qui hoc remedium emptori denegandum putant , cum *d. l.* tantum in specie

cie loquatur de venditore: refelluntur tamen ob sequentes rationes.

I. Quia sub venditore emptor continetur, ut sub venditione emptio. *l. 19. ff. de act. emp.*

II. Eadem ratio tam pro emptore, quam venditore militat, cum non necessitas vendendi, sed enormis læsio & æquitas causam hujus legis condendæ dederint, quod probatur per *l. 8. C. b. r.*

## X I I.

Major est controversia, an sciens valorem rei non excludatur ab hoc remedio? quod affirmandum ex his rationibus:

I. Cum scienti non fiat injuria *l. 1. §. 5. ff. de injur. l. 1. 45. ff. de R. J.*

II. Damnum non est, quod quis suâ culpâ sentit *l. 203. ff. de R. J.*

III. Probatur clarè per expressum textum in *l. 57. ff. de contrah. emp.* in verbis: *simili quoque modo tractari oportet, si venditor quidem sciebat, emptor autem ignorabat.*

IV. Qui sciens rem minoris vendit, donasse videtur, nam ubi errore interveniente datur repetitio; ibi quod consulto & à sciente fit, donatio intelligitur. *l. 53. ff. de R. J.*

## X I I I.

Cum affirmanti incumbat probatio, (teste Paulo in *l. 2. ff. de probat.*) hinc concludo, quod læsus teneatur probare suam læsionem: actore enim non probante reus absolvitur. *l. 4. c. de Eden.*

Quoniam vero varia sunt probationum genera *l. 3. §. 2. ff. de test.* & læsio non potest probari, incognito rei valore, videndum quomodo probari debeat.

Cer-



## 8 DISPUTATIO JURIDICA

Certum est testium probationem admitti, qui secundum communem rei æstimationem, quæ tempore contractus fuit attestentur: nullâ habitâ ratione affectionis: cum pretia rerum non ex affectione, sed communi æstimatione fundentur *l. 63. ff. ad l. falcid.*

Si testes ab utraque parte dissentiant, quidam majorem, quidam minorem æstimationem asseverantes; habenda est ratio dignitatis, qualitatis & numeri testium *l. 3. §. 1. ff. de test.* Si verò ex omni parte sit testium æqualitas, prævalet illorum testimonium, qui minorem æstimationem affirmant *l. 38. §. 1. ff. de re jud.* Ratio est, ex regula juris, quæ dicit: *in dubiis id quod minimum est sequimur.* *l. 9. ff. de R. J.* Quia in ambiguis id magis accipi debet, quo contractus valeat, quam quo pereat.

Potest II. etiam probatio fieri per peritos illius rei æstimatores. arg. *l. 6. §. 1. C. de secund. nup.*

III. Etiam procedit probatio per instrumenta posteriorum venditionum, si non longo tempore interjecto confecta sint: at hæc relinquuntur arbitrio judicis, cum ipsæ probationes sint arbitrariæ *l. 3. §. 1. ff. de test.*

## X I V.

Hinc jam oritur alia quæstio: nempe quomodo hæc læsio jam computanda sit, cognito rei valore? Multi distinguunt inter venditorem, & emptorem. De venditore omnes conveniunt, & ei remedium *d. l.* tribuunt: si V. G. rem valentem 9. vendidit 4. aut valentem 20. minus 10. quod etiam ultima verba *d. l.* clarè ostendunt.

In emptoris persona aliter læsionem esse computandam Acursius & alii docuerunt V. G. si rem valentem 10. emerit 16. vel valentem 20. emerit 30.

Quod

Quod quidem aliquâ ratione nititur, cum emptor re verâ plus quam dimidium veri pretii dederit: nam sex superant dimidium decem: Sed menti D. L. hoc adversari, & emptorem pari passu cum venditore ambulare, non pauci animadverterunt, quorum sententiis etiam subscribo, cum non invenerim rationem differentiæ, quare emptor esset melioris conditionis quam venditor, de quo etiam legis verba in specie sunt concepta. Concedendum ergo hoc remedium tam emptori, quam venditori indistinctè: si quilibet dimidium ejus quod dederint, non receperint V. G. Si justum rei pretium sit 10. venditor dicetur læsus, si minùs quàm 5. accepit: emptor verò si dedit plùs quàm 20; quia hac computatione utrique re verâ abest dimidium ejus, quod dederint.

## X V.

Lex agit in specie de fundo, id est, de re immobili: unde dubitari posset, an etiam legis remedium obtineret in rebus mobilibus? quod affirmandum puto.

I. Quia Impp. tantum de fundo erant rogati: leges autem codicis sunt adstricti magis ad casus de quibus erant rogati.

II. Legis ratio consistit in æquitate & enormi læsione, quæ tam mobilibus, quàm immobilibus contingit.

III. Cum inicio Legis Imperatores simpliciter loquantur de *Re* vendita, sed rei appellatio tam mobiles, quam immobiles comprehendet *arg. l. 5. ff. de V. S.*

## X V I.

Porro cum lex tantum sit concepta de emptione venditione: hinc quærunt an etiam extendenda ad alios contractus bonæ fidei? Quod ex eadem æquitatis ratione affirmo, ut in locatione conductione *l. 2. ff. loca. cond. pr. Inst. Eod.* in rerum permutatione *arg. l. 2. ff. de rer.*

B

*perm.*

*perm.* in rerum divisione *arg. l. 1. C. comm. utr. jud.* in datione insolutum *arg. l. 4. C. de evict.* ratio est: quod hi contractus venditioni similes sunt *dd. ll.*

## X V I I.

Hâc occasione quæritur, an etiam *d. l.* producenda sit ad transactionem, si quis duplo plus dedit ex causa transactionis, quam debebat, vel à contrario, si quis duplo minus accepit, quam ei debebatur? Negantium opinio magis juri & rationi mihi videtur esse conformis. Quod probo.

I. Transactio comparata est ad lites finiendas *l. 12. C. de transac.* at remedium, quod finiendis litibus est comparatum, non debet esse earundem seminarium.

II. Lites, legitima transactione finitæ, non possunt principali rescripto resuscitari, *l. 16. C. de transac.* ergo nec remedio *d. l.*

III. Transactio eandem quam res judicata habet auctoritatem *l. 20. C. de transac.* at res judicata sub prætextu læsionis, ne quidem immodicæ potest rescindi *l. 4. C. de re jud.* ergo nec transactio.

IV. Transactio est de re dubia, & lite incerta *l. 1. ff. de transac.*

Quæ autem dubia sunt & incerta, non recipiunt certam æstimationem. *arg. l. 29. §. 3. ad l. Aquil.* & per consequens certa læsio non potest allegari.

## X V I I I.

Videndum jam, quæ sit intentio actoris læsi: nempe ut contractus aut rescindatur, aut defectus suppleatur reservatâ tamen reo electione: qui si pretium supplere maluerit, non sufficit, ut læsionem redigat infra dimidium. V. G. si rem dignam 20. emisset 9. & vellet pretium supplere ad 11. vel etiam ulterius:

Debêt

Debet autem pretium in tantum augere, quo rem potuisset habere emptam sine vitio: Venditor è contra debet in tantum refundere, ut saltem salvam habeat rei suæ æstimationem: dicit enim Lex, *quod iusto pretio deest.*

X I X.

Petitur hæc rescissio, aut actione empti, quæ in aliis casibus etiam datur, ad rescindendum contractum *l. 6. ff. de resc. vend. l. 50. ff. de contrab. emp.* vel conditione ex hac *L. 2.* nam cum nova lex actionem introduxit non expresso actionis nomine, agendum est conditione ex lege *l. 1. ff. de condict. ex l.*

X X.

Dixi reo dari electionem, utrum contractum supplere, an rem velit restituere: sed re restituta quæritur, an etiam pignus medio tempore in re constitutum solvatur? quod affirmo ex his rationibus:

I. Quia resoluta jure dantis, solvitur quoque jus accipientis. *l. 40. ff. de pig. act.*

II. Argumentum potest deduci ab emphyteusi, quæ libera ad dominum debet reverti non soluto canone *l. 31. ff. de pig. & hypoth.*

III. Ab addictione in diem, quo pacto contractu soluto, solvitur quoque hypotheca *l. 4. §. 3. ff. de in diem addic. l. 3. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solv.* cum autem non sit ratio differentiae, idem quoque statuendum in venditione resoluta ex *d. l. 2.* Nam sicut emptor potest impedire rescissionem, supplendo id, quod iusto pretio deest, ita quoque emphyteuta, si solvat canonem, vel emptor si offerat venditori eam meliorem conditionem, quæ ab alio offertur *l. 7. 8. ff. de in diem addic.*

## X X I.

Remedium d. L. etiam variis modis cessat, ut

I. Si ei renunciatum sit; cum quisque favori pro se introducto possit renunciare *arg. l. 69. ff. de R. J.*

II. In venditione subhastali. *tot. Tit. C. si prop. pub. pens. l. 16. C. de resc. vend.*


III. Re apud emptorem precepta sine eius culpa

IV. In casu, quo heres iustus sit, à testatore certo pretio rem vendere *l. 70. §. 1. de leg. 2.*

V. Si contrahentes jurato promiserint non contravenire venditioni, cum nec minor contra jusjurandum restituitur *l. 1. C. §. auth. sequ. si advers. vend.*

VI. Si res incerta vel species vendita sit *arg. l. 8. ff. de contrab. emp.*

VII. Præscriptione 30. annorum *arg. l. 1. §. 1. C. de ann. excep. l. 3. 4. C. de præscrip. 30. ann.*





# COROLLARIA.

I.

*Minores invitati Curatores accipiunt.*

II.

*Pater filio exheredato potest dare tutorem.*

III.

*Bona fidei possessor fructus perceptos & consumptos suos facit.*

IV.

*Post litis contestationem libellum licet corrigere.*

DIADE.



DIADEMA JURIDICUM,

*Quo Ultrajecti Anno 1686, die 29.  
Junii Coronatus fuit praclarus,  
ac sapientissimus.*

D. ÆGIDIUS  
NILAND.

*Chronographicum.*

ÆGIDIUS NILANDUS  
IURIDICUS ORTUS  
EST PHOEBUS.



*St infinitus sapientia vera Theſaurus,  
Cujus ſplendenti Luce coruſcat Homo.  
Hinc ſapiens SALOMON ſuper Aurum pretulit illam,  
Quâ prius à Domino glorificatus erat.*

Ut

Ut velut in medio PHOEBUS *Resplendet Olympo* ;  
 Sic inter cunctos *Fulgidus* ille foret :  
 Ipsorum Vitas formandi *legibus aequis* ,  
 Ac quoque tollendi jurgia *mœsta Domus*.  
 ÆGIDIUS talis *sapiens* NILANDIUS , atque  
 Est SOL *resplendens*, *lumina justa* Vibrans :  
 Quem prius *Exortum Phœbea* DAVENTRIA vidit ,  
 Dum *juris* studiis *iuvigator* erat ;  
 Sed veluti PHOEBUS *radiosis* *fulsit* ab *Astris*,  
 Qui spargit *radios* inter utrosque *Polos*.  
 (Postquam *Pandectas* *sedulus* cum *Codice* volvit,  
 Atque suis *Thesibus* *jura* probata dedit)  
 Hunc dum JOANNES MUYDEN *Diademate* cinxit  
 Inter *juristas* , quo *radiatus* ad est.  
 Ast mage *splendor* *fulgebit* TRANSISULANIS  
 Cum *Novus* in *Patria* *Doctor* ubivis erit :  
 Quando *producet* *justi* *nova* *germina* *juris*  
 Quo *proprium* *tribuet* *justus* in *orbe* *suum* ;  
 Ære quod *oppressis* *vita* *nova* *gaudia* *fundit*,  
 Atque *novos* *Homines* *semper* *ubique* *facit* :  
 Ut quoque *Luce* *novos* *fructus* SOL *gignit* ad *omnes*  
 (Quod' quovis anno quisque *videre* *potest*)  
 Dum *faciem* *Terra* *renovat* *radiisque* *decorat*  
 Queis *novus* *apparet* *lætus* & *omnis* *Homo*.  
 Seu velut *antiquam* *Terram* *novus* *incola* *ruris*  
 In *sudore* *suo* *reddit* *ubique* *Novam*.  
 Vomere dum *scindit* , *geminis* *rastrisque* *rimatur* ,  
 Ut *noviter* *furgat* *multiplicata* *seges* :  
 Sicque *novam* *reddes* *processibus* *inveteratam*  
 Tu *Patria* *Terram* *jure*, *Nilandè*, *tuam* ;

Exi-



Existes quoties *Victor*, vel *jurgia* tollas  
Ut sit *Pacificus* *juribus* omnis *Homo*.  
Vel, si quid *Viri* fuerit radicitus in *TE*,  
Pellas, ut semper sit *Nova Vita* *TIBI*.  
Non igitur frustra *NOVA* nomine *TERRA* vocaris,  
Qui facis ad cunctos omine *cuncta Nova*.  
Si tamen *Ecclipsin* *TIBI* *jura* aliquando moverent,  
Inde *Novum lumen* *SOL* dabit ille tuus;  
Donec ad *Occasum* sic vergens morte, *supremus*  
*Justitie Dominus* sit *Diadema* tuum.

*Accinebat tuus* *Compatriophilus*

THEODORUS MENSINCK.

